

bonorum parte vel ultimi, tantum ne in malis primi. Etenim sicut divitiae huius saeculi, tunc maxime augentur cum nulla prorsus lucra nec minima contemnuntur, ita  
15 et in spiritualibus divitiis ne minimum quidem boni operis contemnendum est, alioquin valde absurdum videtur cum iudex noster nec calicis quidem aquae frigidae mercedem se promiserit negaturum, nos dicere quia nisi  
20 magna sint quae gerimus et ingentia, nihil proderunt minima. Immo vero ego etiam illud addo quia si quis parva non contemnat et minima, certum est quod paulatim etiam ad magna perveniat « Qui vero spernit minima, sicut Scriptura dicit, paulatim decidit. » Et ideo  
25 arbitror Dominum et Salvatorem nostrum in rebus minimis magnas statuuisse mercedes. Quid enim tam leve, tam facile quam visitare infirmum ? Et tamen huic tam exiguo operi remunerationem magnificam posuit. Et iterum quid tam facile, quid tam gratum quam esurienti  
30 praebere cibum, sitiēti potum, nudo indumentum, conclusum in carcere requirere ? Et haec quae tam parva sunt et tam minima, ita magna ducit et summa, ut ea non homini sed sibi ipsi Deus deputet ministrata et pro his regnum caeleste promiserit. Adgredere igitur, amice carissime, adgredere iter aeternae vitae et rursus suscipe iugum  
35 Christi suave et onus eius leve. Recupera in temetipso animi virtutes et finem redde initiis similem, nec patiaris tantum tibi et tanto labore quaesitum spiritualium gratiarum deperire censum. Peribit enim si persistas in